



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 1. Quid & Quotuplex sit generatim Circumstantia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

rèdecentiae modum excessisti? an immo-
dicè cachinnatus es, aut in communi con-
versatio neinstar alicujus stentoris vocife-
ratus? an vitulorum instar artus & bra-
chia diduxisti; alium hoc vel illuc traxi-
sti, petiisti lapidibus, percussisti, pileum
dejecisti, aut indecoro aliquo gestu ca-
stitatem laesisti? hæc aliaque similia im-
modestia nomine veniunt. At nonne ite-
rum clare perspicis, te, sicut ipse me peccati
speciem non agnovisti, ita etiam cau-
sam futurum, ut neque Confessarius,
quid velis, ullatenus assequi possit. Qua-
propter ut melius te Confessario tuo de-
clarare possis, melius etiam tuam con-
scientiam excuties, & videbis, quodnam
tuum opus in particulari sit, quod pa-
trasti, quale & cujus speciei &c. sic enim
& te, & tuum Confessarium gravi li-
berabis molestia.

ARTICULUS VI.

De indagandis humanarum actio-
num circumstantijs.

34. Actus humanus, ut suppono nunc, aliud non est, quam actus liber, seu qui positis ijs, quæ ex parte actus primi pro-
ximi ad agendum requiruntur, potuit à suo principio non procedere, sed ejus oppositum, v. g. cum principio adæqua-
to eliciendi amorem potest conjungi odio &c. Et actui humano sic defini-
to suas esse circumstantias, tribuentes ei bonitatem vel malitiam, haec tenus à ne-
mine, ut arbitror, dubitatum est. Hac ergo veritate suppositâ, cetera, quæ hoc faciunt, prosequamur. Sit

§. I.

Quid & Quotplex sit generatim
circumstantia?

35. Actus humani seu liberti circum-
stantia est tale prædicatum, quod actui
ipsi jam in certa specie morali constitu-
to accedit, & substantiam actus quasi
circumstat; ut videre est v. g. in furto,
quæ est rei alienæ contrectatio, invito
domino. Jam si res illa sit profana, sur-
reptio ejus est furtum simplex, in sua specie
perfectum; si vero res eadem sit sacra,
rationi furti accedit, seu additur furto
alia species seu malitia moralis, nimirum
sacrilegij, & facit actionem furci multo
pejorem. sic homicidium est actio, qua
homini injustè vita adimitur; si ergo per-
sona illa, quæ occiditur, sit sanguine jun-
cta v. g. pater, illud consanguinitatis ac-
cidens seu prædicatum dicitur circumstan-
tia, quæ facit, ut homicidium sit longe
gravius, & vocetur patricidium. Simi-
le est in genere virtutum. Nam jejunium
v. g. spectat per se ad temperantiam: si
vero ad id etiam ex voto tenearis, ad re-
ligionem. Hac circumstantiæ notione
præmissâ

Præter singulorum peccatorum mor-
talium speciem investigandæ sunt etiam
corundem circumstantiæ, quæ commu-
niter numerantur septem, hoc versu com-
prehensæ. *Quis? quid? ubi? quibus au-
xiliis? cur? quomodo? quando?*

Aliam circumstantiarum divisionem
referemus *infra n. 48.* postquam gene-
ralem quandam earum explanationem.
præmisserimus.